16

[Cosimo I, Grand Duke of Tuscany.]



PETRI ANGELII BARGAEI

Laudatio

AD FVNEBREM CONCIONEM
Quæ Pisis habita est in Exequiis
COSMI MEDICIS
Magni Hetruriæ
DVCIS.



FLORENTIAE.
Apud Iuntas.
M. D. LXXIIII.


COS · MED · MAGNVS · DVX · ETRVRIAE





SI quanto vos in luctu & squalore esse animaduerto propter incredibilem dolorem, quem ex acerbissima COSMI MEDICIS Magni Hetruscorum Ducis morte accepistis; Ciues; tantam ego ad dicendum vim ac facultatem conferre possem: non dubitarem me esse cunctorum expectationi desiderioque cumulatissime satisfacturum. Ex quo illi prudenter egisse viderentur; qui mihi homini, quamquam fortasse aliquantum in dicendo exercitato, sed tamen tam incredibilis iacturæ magnitudine vehementer commoto tantum oneris hodierno die imposuerunt. Efficerem enim profectò, vt nulli, neq; vobis ad lugendum caussam iustiorem accidere: neque cuiquam ad dicendum argumentum copiosius offerri potuisse non faterentur. Nunc vero cum mihi in hac rerum acerbitate versanti tum mentis acies, tum ingenium ipsum, exiguum illud quidem, & voluntati minime par hebescat & langueat, cumque vestrum omnium mœrorem esse videam, quem nulli Oratores quamuis omnibus Eloquentiæ laudibus affluentes vlla verborum copia vel æquare, vel consequi valeant, nihil planè reliquum est, quamobrem ego quidem confidam fore, vt in hoc ipso argumento tractando talem me præbeam, qualem non modo vos existimatis, sed etiam res ipsa postulat Quis enim dicendi vsu tam exercitatus est, qui cum, non dicam in communi totius Hetruriæ luctu, sed priuatim in suis suorumque Ciuium lachrymis fa-

cundus esse posit, idem etiam stupiditatis atque immanitatis nomine accusari non debeat, & à communi cæterorum omnium sensu plurimum abhorrere non videatur? Neque enim qui vere atque ex animo dolent, dolorem ipsi suum satis commode disimulant: aut si quãdo accidit, vt temporis caussa disimulent, animus tamen in lugendo occupatus, dum ipse cum ægritudinis acerbitate ac magnitudine quasi luctatur, nihil præclare agere, nihil laudabiliter moliri, nihil, quod ab aliis magnopere commendetur, efficere & præstare consueuit. Quibus quidem incommodis ac difficultatibus planè circumuentus atque oppressus, non profitebor, Ciues, meam hãc Orationem huiusmodi vim habituram esse, ex qua vos ad liberandos animos vestros à mœrore, quo estis affecti, consolationem aliquam hauriatis. Neque, id vt consequar, magnopere contendam, me vt benigne ac perattente audiatis. (Cur enim illud postulem, quod mihi vltrò ab omnibus, quæ vestra est humanitas, libentisime tribui video?) Sed ea potius breuisime percurram, quorum causa par ego esse existimo, vt dolori nostro, quem ex illius obitu omnes capimus, grauisimum & vix consolabilem, non modo ignoscatur, sed laus etiam aliqua, quòd illi, quantum quidem in nobis est, indulgeamus, à cæteris gentibus, quarum ad aures peruenerit, non inuitis tribuatur. Neque hac in re tamen ita versabor, vt, quæ ille cumque præclarè gesit, ea vobis sim in hac oratione explicaturus. Nam infinita penè cùm sint, ab Historicis potius scribendo, quàm dicendo ab Oratoribus tractentur necesse est. De multis igitur illustribus & gloriosis factis, quæ ad tanti viri memoriam cum admiratione & cultu recolendam mihi sese offerunt, ea seligam, quæ cùm breui hoc & perangusto temporis spatio satis explicate percenseri poterunt; tum ab eo, quod agi à nobis oportere paulo ante statuimus,

tuimus, non aliena esse videbuntur. Non possum non magnopere mirari veterum Poetarum sapientiam, Ciues, qui cùm existere interdum aliquos vidissent incredibili virtutum excellentia præstantes, eos non homines, sed Heroas appellabant. Quòd naturæ quadam quasi similitudine & cognatione proxime ad Deos cum accederent, ex Diis etiam ipsis, tametsi fabulosè illi quidē, at non sine aliquo tamen argumento nati esse crederentur. Sic Thetidem Achilles, Venerē AEneas, Theseus Neptunnum, Romulus Martem parentes habuisse existimati sunt. Quod quidem ego factum puto, quo probabilius naturæ ortum excellentis & supremæ non ad homines, sed ad Deos immortales referri oportere ostenderēt. Cuius præsertim virtus cum in gente quapiam altissimas radices egisset, eæque postea mirabili quadam continuatione serieq; liberorum & nepotum viros in administranda Repu. facile principes propagauissent, necessario effecerunt, vt huiusmodi familiæ cæterorum omnium familiis nobilitate & præstantia longissime preferrentur. Qua ratione adducti veteres Græci tum AEacidas tum Heraclidas à Ioue: Latini vero Iuliam gentem a Venere, Cæsarem Augustum ab Apolline ortum habuisse autumabant. Quin & ipse quoque Alexander Macedo cognomento Magnus, cum iuueniliter exultaret, & paulo ille quidem insolentius, quam oporteret, gloriaretur, se se è Ioue natum esse, Olympiadem eius matrem facti turpitudine vehementer commotam, tantam audaciam tantamque impudentiam in filio grauiter accusasse, ferunt: cum diceret, an ille me apud Iunonem aliquando tandem criminari non desinet? Sciebat enim mulier castissima non Iouem sed Philippum Alexandri Patrem esse, & ea, quæ de Heraclidarum atque AEacidarum origine, a quibus tum ipsa tum Philippus profecti fuerant, vulgo cir-

cum ferebantur, fabulose narrari. Quòd homines suæ sibi imbecillitatis conscii fieri non posse opinarentur, vt qui satu ac natura homines essent, tantas res ipsi sine diuinitate conficerent. Nisi planè dementes fuisse Veteres existimemus, qui non perspicerent quantam labem atque ignominiam virtuti aspergerent, cum quempiam ex incestu ac stupro procreatum fuisse dicerent. Sed illud sine vlla dubitatone verum est: Heroas eos ac diuinos homines dici consueuisse, qui ex iis maioribus orti essent, in quibus non minores istæ ac leuiores virtutes, sed diuinæ scilicet atque heroicæ, quæ supra nos sunt, se se extulerunt. Quæ quàm aptè conueniant in genus ac stirpem planè regiam, ex qua Medices orti sunt, qui non aperte vident, qui non ingenue fatentur, qui non liberè prædicant: ii præterquam quod in sermone omnium celeberrimo planè peregrinantur, tantum etiam abest virtuti vt faueant alienæ, vt tam excellentibus vetustissimæ familiæ bonis turpiter inuidere videantur. Nam quæ domus est, quæ plures effuderit in omni virtutum genere principes viros? Dies me, hercule, dicentem deficiat, si eos commemorem, qui domi forisque nominis splendore maxime illustres fuerunt: si clarissimos ac sapientissimos ciues percenseam, qui priuati cum essent, rerum gestarum gloria, & animi magnitudine cum summis atque opulentissimis Regibus contenderunt: si acerrimos ac fortissimos milites: si liberalissimos atque inuictissimos Duces: si maximos & castissimos Sacerdotes ac Pontifices enumerem: quorum omnium actiones & facta non hominum, sed lectissimorum herorum fuisse existimantur. Quæ non eò tamen à me dicuntur, quod ad hanc huiusmodi laudationem conficiendam Auorum ac Proauorum imperia, magistratus, potestates, triumphos: publice priuatimque res egregie gestas: cum maximis ac potentissimis regibus

affini-

affinitates coniunctas commemorare & quasi vobis in Sole ambulantibus facem præferre instituerim. Sed vt doceam minime mirum videri oportere, si COSMVS MEDICES ortus ab iis maioribus omnium mortalium sapientisſimus & opinione hominum habitus est, & reuera etiam fuit. Quod quo certius ex innumerabilibus eius vitæ actionibus constare omnibus potest, eo etiam dolentius ferri hunc ipsius extremum à nobis ad Superos discessum oportere intelligimus. Amisimus enim, Ciues, eum Principem, cui neque ad Hetruriæ totius dignitatem & amplitudinem augendam: neque ad Reipub. Christianæ salutem cõseruandam, neque ad omnium populorum, quibus ipse imperabat, felicitatem, si qua in rebus humanis felicitas est, & præstandam & tuendam quicquam deerat: non opes: non copiæ: non mens: non consilium: non voluntas: non apud omnes gentes ac nationes admirabilis existimatio, atque incredibilis auctoritas. Vt hoc potisſimum nomine populi omnes, qui in eius non dicam imperio ac dominatu, sed in fide & clientela conquiescebant, beatisſimi esse tum à finitimis, tum ab externis nationibus existimarentur. Eamq. multi Principes ac Dynastæ opinionem cum in suis penitus defixam esse perspicerent, quãquam fortasse tantarũ virtutum præstantiæ parum æqui, tamẽ tantum abfuit vt imperandi rationem reprehenderint, vt studiose etiam, quantum quidem fieri præstariq. ab iis potuit, consectati fuerint. Ac me hercule cogitanti mihi, & memoria superioris ætatis incommoda repetenti, quibus & Hetruriæ totius & omnium Italorum res miserrimæ conflictatæ sunt, diuinum atque immortale Dei opt. max. beneficiũm videri solet: qui tam miseris ac luctuosis Italiæ temporibus eum virum, atque adeo Heroem excitauerit, cuius virtute & sapientia bella omnia, quibus Europa iamdiu conflagrauerat, sedarentur

rentur. Quod quidem ipsum quamquam magnis laboribus & erumnis suis consecutus est, ea tamen potissimum auctoritate, quam illi res iam inde ab adolescentia vel a pueritia potius nō minus fortiter quàm prudenter actæ maximam compararunt, in primis cōfecisse existimari & potest & debet. Nam aut hic noster vnus est, qui suo ipsius exemplo, quantum consilio tribui oporteat, planissime ostendit, aut alius nemo: siue ille ex nostra, siue ex Annalium memoria repetatur. Et quidem, vt cæteros pretermittam omnes, qui a senibus ipsi penè pueri ad clauum Reip. gubernandum è priuatis familiis euocati sunt, vnum C. Octauium, qui postea est Augustus cognominatus, nominare possumus, quicum COSMVM MEDICEM comparemus. Is enim cum annos ad 18. natus esset, a Senatu Reipu. gerendæ præfectus est. Qua tamen prospere gesta dominandi cupiditate accensus atque inflammatus, eos, quorum opibus & consiliis adiutus, auctus, atque ad summum imperium euectus fuerat, flagitiosissime prodidit: & communibus populi Ro. hostibus se adiunxit: iisque mox è medio sublatis per ciuium cædes aditum sibi ad eam Remp., quam in fidem ad certum tempus receperat, quo iure quáue iniuria occupandam patefecit. At hic Heros noster, paulo adolescentior cùm esset, & ciuium dissensione potentissimorum status Reip. miserè laboraret, eoque rerum summa redacta esset, vt omnia omnium cædibus paulo post complenda esse viderentur: neque quidquam propius abesset, quàm vt Vrbs Florentia sedibus penè suis euerteretur: & cuncta Hetruria fœdissimis bellis, incendiis ac rapinis vastaretur, è priuata domo, in qua à sanctissima matre MARIA SALVIATIA castissime atque integerrime ad spem supremæ fortunæ eductus fuerat, excitus, atque adeo quasi quidam nouus Serranus è suburbano agro, in-

quem

quem ipse animi caussa diuerterat, ad Dictaturam summa populi voluntate à frequentissimo senatu euocatus, Remp. suo ipsius patrocinio commendatam accepit, non vt ad tempus eam gereret, sed vt tanquã Gubernator ad clauum in puppe residens perpetuò administraret: eiusque cursum sic dirigeret, vt à nemine præterea quamuis improbo & factioso ciue impediri aut retardari posset, quo minus in eum portũ, quem optimi quiq. magnopere optabant, incolumis perueniret. Quod cum fieri vix posse nonnulli arbitrarentur: futurumque existimarent, vt Ciues rursus inter se grauissimis dissensionibus ac discordiis agitarentur; atque vnà cum ipso adolescentulo COSMO MEDICE Remp. funditus euerterent, auctores illi erant, vt non modo patienti, sed etiam libenti animo tam graue ac periculosum onus deponeret. Qua scilicet ratione si ruenti patriæ ferre opem non posset, at salutem ipse suam, quam quisque charissimam habere consueuit, honestissime tueretur. Verum enim verò cum ipse minus omnino sibi, quàm patriæ se natum esse existimaret, nulla, neq; impendentis periculi tempestate, neque terrorum ac minarum, quæ proponebantur, magnitudine, neque certissimæ mortis denunciatione permoueri vnquam potuit, quo minus illud ipsum, quod semel sibi a Senatu mandatum fortiter agere instituerat, constantissime persequeretur; & patriæ salutem sua sibi esse salute longe antiquiorem ostenderet. Qua quidem in re quantum hostibus tum bellicæ facultatis scientia præditis, tum rerum gerendarum vsu exercitatis virtute & sapientia antecelleret, patefactum est. Nam cùm eos, in apertam vim coniecisset, ita ipse pene pręsidiis omnibus destitutus aduersarios ab opibus & copiis paratissimos, & ad ciuium cædes instaurandas, Reique P. statum conuellendum ruentes fudit ac fugauit, nihil vt esse per-

timeſcendum oſtenderit, vbi conſilium cum temeritate; Virtus cum audacia; ius cum iniuria conflictatur ac dimicat. Vicit enim propemodum inermis armatos; puer viros: imbecillus robuſtos: Tyro Veteranos. Qua quidem ex victoria haud ſanè facile ſtatuerim, maiorem ne auctoritatem apud hoſtes, an beneuolentiam & charitatem ſibi apud ſuos conciliauerit. Nam neque hoſtes, cum bellicam virtutem, quā antea, vt in puero, aut nullam aut perexiguam eſſe opinabantur, ſuo ipſi periculo & plurimam & excellentem fuiſſe cognouiſſent, vllū præterea bellū ad oppugnandā patriā ſibi eſſe redintegrandū putauerūt: neq; ciues tot tantorumq; periculorū formidine liberati, amare illum & ſingulari charitate proſequi non potuerunt: à quo ſe ipſi vnà cum Rep. præter ſpem atq; opinionē ſuam ſeruatos eſſe apertiſsime vidiſſent. Et quidem non defuerunt qui tam incredibilis, tā inſperatæ, tam repentinæ propemodū victoriæ exitum vel perpetuæ MEDICVM felicitati, vel Dei opt. max. ad quem omnia referenda ſunt, voluntati & conſilio tribuerint. Ac mihi ſanè libet hic cōmemorare, Ciues, quod quamquam fabuloſum fortaſſe videri poteſt, multorum tamen ſermone celebratum eſt; & rerum, quæ poſtea conſecutæ ſunt, euentu comprobatum: à nobis certè de iis auditum, qui totum id, quod dicturi ſumus, ab eo, cui euenit, ſeſe accepiſſe teſtarentur. Ferunt enim Petro Strotio earum copiarum Duci, quæ tum reducendorum exulum gratia coactæ in citeriore Gallia fuerant, iam iam ex Apennino in Hetruriam deſcendenti ſecundum quietem viſam eſſe hominis imaginem longè illam quidem humana imagine auguſtiorem. quam cum interrogaſſet, ecquæ nam foret? minitabundam reſpondiſſe, ſeſe IOANNEM MEDICEM COSMI patrem eſſe. Illum, inquam, belli fulmen, cuius adhuc nomen omnes gentes ac nationes

tiones perhorreſcunt. A quo deinde cum ipſe ſibi in Galliam reduci obtorto collo, & vniuerſus is exercitus, cui præerat, armis, viris, terrore, periculoque mortis repelli, fugari, cædi viſus eſſet, expergefactum conſurrexiſſe, ac tanto metu perculſum eſſe, vt de fuga poſtea potius, quàm de victoria ſibi eſſe cogitandum ſtatuerit. Sed ſiue Heros ille inuictiſsimus è Cœlo ad hoſtem perterrendum deſcenderit: Siue Deus opt. max. cauſſam hanc noſtram meliorem eſſe iudicarit: Cosmvs certe Ioannis F. Medices, ac paternæ fortitudinis effigies, armis & conſilio conatus Aduerſariorum fregit: ac tum primum ea victoria potitus conualeſcentem Remp. confirmauit. Atque hac quidem in re quãtum Cæſari Auguſto præferri poſsit, facillime intelligent, qui vtriuſque factum diligenter perpenderint. Nihil enim prohibet quo minus in diſpari imperio ac dominatu par dignitas & fortuna eadem eſſe potuerit. Ille igitur Remp. præcipitantem impulit, ac perditam proſtrauit: Hic labantem ſuſtinuit, & proſtratam erexit. Ille vniuerſo penè Senatu extincto, atque innumerabilium ciuium ſanguine crudeliſsime effuſo Rempu. occupauit. Hic ex hoſtium etiam numero pluribus omnino vel in ipſa victoria ſeruatis, quàm interemptis, ac nulla planè ſiue in ſenatu, ſiue in populo cæde conſecuta imperium conſtabiliuit. Ille mox licentiam ſæuiendi nactus nobiliſsimas quaſque familias ſuſtulit. Hic agendi clementer occaſionem adeptus non modo cuiuſquam fortunas non euertit, ſed multos etiam ciues, qui ſuperiorum temporum aſperitatibus in maximas difficultates coniecti fuerant, in priſtinam dignitatem atque amplitudinem ſuo priuatim ſumptu reſtituit. Quamobrem eoſdem illos hodie quoq. in ciuitate florere non ignoramus, quos antequam ipſe Reipub. gerendæ præficeretur, opibus & copiis floruiſſe audiuimus. Oh beni-

gnitatem admirabilem, o, humanitatem incredibilem, o, nullis vnquam sæculis auditam mansuetudinem. Quod plerique omnes, cum in libera ciuitate regnare incipiunt, necessarium esse putant, vt, quos etiam leuissimis de caussis suspectos habent, eos quo iure quaue iniuria è medio tollendos curent: magnasq; familiarum opes & factiones, quæ principem locum antea in Rep. obtinere & quasi dominari consueuerant, obiectis multarum rerum difficultatibus atque incommodis infringant ac debilitent, ipse tantum abest imitatus vt sit, vt etiam quã plurimis pepercerit: adeundi magistratus & honores potestatem fecerit: Rem familiarem amplificauerit, eorum etiam, quorum in se odia fuisse acerbissima non suspicione atque indiciis, sed re ac factis apertissime dephrehẽderat. Hæc qui non suspiciunt, qui non admirantur, qui præcipuis quibusdam laudibus in Cœlum non ferunt, ii aut quantum diuinæ cuidam atque heroicæ virtuti debeamus non intelligunt: aut si intelligunt, & tantorũ tamen factorũ magnitudinẽ vel verbis extenuant, vel silẽtio prætermittũt, iam huiusmodi homines, non homines sed hominũ monstra ac portẽta sint necesse est. Cæterum quãtum illi in re militari auctoritatis & existimationis attulerit Resp. fortiter & prudenter gesta, ea, quæ mox consecuta sunt tempora facillime demonstrarunt. Nam cũ paulo pòst in Insubribus is, qui tum Pro Cæsare in Italia Hispanis legionibus præerat Alphonsus Daualus fortissimus Imperator insignem cladem a Gallis accepisset; parumque abesset, quin illi eam victoriam consecuti rectà se ad oppugnandum Mediolanum conferrent: atque Hispanos ex vniuersa Italia præcipites exturbarent, penè prius ab Heroe hoc nostro lectissima Hetruscorum militum manu cõfirmatus est, quàm ab hostibus victus. Etenim nostrarum legionum aduentum tantum terroris victoribus

attulisse

attuliſſe tum conſtat, quantum non modo ad eorum animos iuueniliter exultantes reprimendos, ſed etiam ad res Cæſaris, quæ tanto accepto vulnere penè corruerant, ſubleuandas & conſtituendas ſatis fuit. Itaq; cum omnium opinione attritæ atque euerſæ radicitus viderentur, in eum locum a noſtris reſtitutæ ſunt, vt ex inferioribus ac perditis, ſuperiores atque integræ repente euaſerint. Quod quidem ipſum nemo tam inuidus eſt, qui cum Hetruſcorum militum virtuti ac diſciplinæ, tum Cosmi Medicis, cuius auſpiciis ac iuſſu eò profecti fuerant, incredibili prouidentiæ, vigilantiæ & felicitati acceptum referri oportere non ingenue fateatur & prædicet. Suſtinuit itaque ille ſuis propemodum humeris res Cæſaris in Inſubria labantes. Qua quidem in re præterquàm quòd Cæſari pro iis, quæ ab illo acceperat beneficia & plurima & maxima, gratiam cumulatiſsime retulit, communi etiam totius Italiæ quieti & tranquillitati conſuluit. Id quod cum cæteris, quibus ipſe ſemper non minus quàm ſibi proſpectum eſſe voluit, otium & ſecuritatem peperiſſet, in ſuam ſuorumque perniciem propemodum redundauit. Nam Henricus Valeſius aliquot poſt annis, cum in Gallia regnum obtineret, quod ea in re parenti ſuo Franciſco Valeſio iniuriam fuiſſe factam exiſtimaret, aut quod tum quidẽ ita videri vellet, hominum maleuolorum vocibus & ſcelere exulceratus, ſuaſionibuſque impulſus graue bellum nobis inferre ſtatuit. Quod cum ſibi neceſſario ſuſcipiendum eſſe Cosmvs Medices intelligeret, quamquam animo planè inuito ac recuſanti cum affine atque amico Rege vi & armis decertaret, tamen tanta cum animi alacritate ſuſcepit, vt dubitaret nemo, quin ipſe ſibi ſuo ſuorumque conſilio, Reique p. cui præerat, viribus & cauſſæ ipſius æquitate fretus, certiſsimam victoriam polliceretur. Itaq. cum & rel i quæ totius Ita-

liç nationes ac Principes rerum euentum suspenso animo expectarent, futurumque crederent, vt euerso MEDICUM imperio Galli paulopòst in Hetruria dominarētur: ideoq; omnes metu perculsi se suasq; vires intra suos fines continerent: easq. hostibus potius, q̃ nobis impertirent, ipse vnus incredibili quadā animi magnitudine præditus fortissime & constantissime totum illud bellum administrauit: & ad eum exitum perduxit, ad quem nulli prorsus peruenturum esse sperauerant. Quid enim sperarent? cum & finitimas ciuitates ac Dynastas partim reuiuiscenti ac surgenti MEDICUM gloriæ obscurè inuidere, partim rerum nouarum cupidos Gallorum opibus palàm fauere animaduerterent, Regem autem ipsum potentissimum vniuersam Galliam mox esse in Hetruriam effusurum opinarentur. Consecutus igitur is exitus est, quem & optimi quique magnopere optabant, & tanti Herois virtus tam excellens, tam admirabilis, tam incredibilis expetebat. Atque hoc quidem in bello quid est, Ciues, quod pro rerum dignitate & magnitudine prius admiremur? Prudentiam ne? cuius vi factum est, vt cum hostes essent nos incogitantes atque imparatos iam iam obsessuri, ipsi se obsideri senserint: bellumq., quo nos appetere instituissent, in finibus suis gerere coacti sint. An animi excelsi atq. inuicti magnitudinem & robur? quo ipse præditus nullum vnquā tam atrox periculum rebus suis impendere animaduertit, quod vel tantulum pertimuerit: nullam cladem tam insperatam vnquam accepit, cuius ipse importunitate perterritus sibi esse ab incepto desistendum, & de pace cum hoste agendum putauerit. An in rebus duris atque aduersis patientiam? In prosperis & secundis æquabilitatem? Quis enim illum, cum flagrāte bello fortuna minus propitia vteretur, frangi animo ac debilitari vnquam vidit? Quis postea, cum eodem penè

die

die Heleonoram Toletanam lectißimam fœminam, & è Regia familia ad imperandum planè natam, vxorem suam, duosque item filios iam natu grandes, & animi, & corporis bonis omnibus florentißimos amisisset, vultu immutatum perspexit? quis rursus cum res, quemadmodum omnes magnopere optabamus, prosperrime succederent, eum esse factum paulo elatiorem atque insolentiorem audiuit? Ac profectò videtur mihi diuino planè consilio accidisse, vt tantam belli molem ipse in se vnum incumbentem, tantumque fortunæ periculum & necessario subierit, & constantißime sustinuerit. quo scilicet apud omnium animos testatum esset: futurum omnino fuisse, vt si minus a fortuna ad regium apicem iam inde a puero eueheretur, regnum tamen ipse iam grandis natu sua sibi esset virtute comparaturus: Si quo casu præclarè agendi occasionem nactus re ipsa ostendere potuisset, Virtutem potius quam Fortunam ab hominibus afferri oportere ad imperandum. Quis igitur tam durus, tam ferreus, tam inhumanus est, qui tanta tantæ virtutis & præstantiæ iactura non moueatur? Equidem quod ad me attinet, cum mecum ipse cogito quantum id sit, quod in vno hoc Heroe amisimus, nihil esse planè statuo, quamobrem nunc quidem omnes omnium miserrimi esse non iudicemur. Ac præsertim cum à rebus bellicis, in quibus quãquam prudentiam principẽ locum occupare oportet, fortunã tamen iure quodam suo dominari ac regnare nemo negat, ad res vrbanas ac domesticas contemplandas animum reuoco. quando in iis non impetu ac temeritate sed delectu & sapientia ad agendum ducimur, quantumque in bello inconstantia & casus sibi vendicare, tantum in hisce ratio & consilium valere consueuit. Quid igitur, maioremnè ille domi, quàm militiæ: togatus, quàm armatus: in pace, quàm in bello: inter Ciues,

quàm

quàm inter milites gloriam repperit? Repperit mea quidem opinione tanto maiorem atque ampliorem, quanto laus existimari solidior debet, quam nos ex nostris potius, quàm ex aliorum præclare factis capimus. Quamquam quæ ipse armis & militum robore quæsiuit, non aliorum viribus, sed vni eius virtuti tribuamus necesse est. quippe qui consilio & sapientia, quæ foris gesta sunt, dum in vrbe se continet, tanquam mens in capite residens, administrauit. vt hac quidem de re multo maiore in admiratione apud homines esse possit, quàm si ipsemet armatus in aciem prodiisset: atque immemor suorum salutis, dum se periculis exponeret inanem gloriæ speciem, & falsam quandam non veræ fortitudinis laudem consectatus esset: nisi nos fortasse laterum ac lacertorum viribus virtutem potius, quàm ratione & consilio metiamur: & eum, qui res magnas gerit, maiore commendatione prosequamur, quòd manibus valentior, quàm prudentia consultior cum fuerit, rerum omnium summam in extremum discrimen adduxerit. Non est eorum hæc laus, quorum in vita totius Ciuitatis ac populorum omnium salus continetur. quam qui Reip. præsunt si vnà secum periclitari patiantur, iam non conseruatores, sed patriæ proditores vt appellentur, digni sunt. Errant itaq. illi mea quidē sententia, & vehementer falluntur, qui iisdē è fontibus laudē manare existimāt Imperatoris, & hominis in Rep. principis: cuius cum salute Reip. salus ita coniuncta sit & copulata, vt periclitari ac ruere omnino nō posit, quin & ipsa Resp. planè periclitetur & corruat. Quærāt hoc decus, atq; hoc audaciæ præconium, qui aut nihil prȩterea habēt, quā obrē magnopere gloriētur: aut nullā aliam occasionē ad præclarè agendum sese consecuturos esse intelligunt. Sed qui personam sibi eam impositam vident, cui non priuatim suam, sed suorum beatitudinem

atque

atque incolumitatem propositam esse oporteat, ii reprehendendi planè sint, si vt imperii fines proferant, vt trophæa de victis hostibus constituant, subire bellorum pericula, & vitam ipsi suam Fortunæ temeritati cōmittere non verentur. nulla est victoria, nullus triumphus tanti faciendus, vt dignus esse existimetur, cuius adipiscendi cupiditate impulsi nihil non sibi faciendum atque audendum ii putent, qui principem locum in Rep. obtinent. Multa sunt: in quibus solidiore omnino cum laude versari queant. Nam pie sanctéque Deum qui colit: & vt ab aliis religiosissime colatur in primis cauet: qui optimos ac sanctissimos mores in ciuitatem ac Remp inducit: qui præclarissimas leges, quibus domi forisque ciues vtantur, condit: qui suis nihil vt ad bene beateque viuendum desit, studiosissime curat: qui vrbes Deorum immortalium templis, basilicis, porticibus, statuis exornat: qui agros ex pestilentibus salubres: ex incultis ac sterilibus, celebres & fœcundos reddit: qui Arcibus: qui propugnaculis: qui portubus regionē & imperii fines vincit ac munit, vt ciuibus nō modo securitatē, sed etiam vberrimam rerum omnium copiam & affluentiam pariat: Hunc ego non iam cum summis ac præstantissimis Imperatoribus Fabritiis, Curiis, Scipionibus, AEmiliis, Fabiis Maximis exæquandum, sed cum priscis illis Heroibus Hercule, Theseo, Pirithoo, Quirino comparandum, atq. adeò cunctis anteponendum puto. Nam quod ad Dei opt. max. cultum & religionem pertinet, vt omittam quàm seueris suppliciis eos, qui à priscorum & sanctissimorum patrum institutis & præceptis dissentiunt, & nouas religiones in Remp. inducunt, semper fuerit persecutus: quàm omni diligentia perniciosas ac turbulentas huiusmodi opiniones seditiosorum hominum de ciuitate ac de imperii sui finibus expulerit, exterminauerit, eiecerit: quan-

tate Romanorum Pontificum ac Sacerdotũ sanctimoniam obseruauerit: quàm pudicè eas Virgines, quæ se Deo dicauerunt, asseruari studuerit: quàm frequenter sacras ædes venerabundus adire, & sacrificiis, quæ illic fierent, interesse consueuerit: quantam denique pecuniæ vim in eorum fratrum ac Sodalium familias & cœtus effuderit, quorum in colendo numine vel quotidianam operam & asiduitatem interrumpi, vel voluntatẽ & cursum inopia retardari intelligebat. Vt tacitus (inquam) hæc omnia prætermittam: quale quãtumque illud est hærentis in animo atque in intimis visceribus ac medullis infixę penitus erga Deum pietatis testimonium? quòd in hac ipsa vrbe Diuo Stephano magnificentissimum templum ædificari curauerit: ac non modo illi castissimos atque integerrimos sacerdotes addiderit; verum etiam fortissimorum militum sodalitatem è nobilissimis totius Europæ familiis selectã & conflatam instituerit, qui publice priuatimque religiosissime pietatem colant, & ad Reipu. Christianæ salutem defendendam ac dignitatem amplificandam, maiestatemque retinendam in iis præsertim bellis, quæ cum Turcis perpetuis atq. atrocissimis Christiani nominis hostibus suscipiuntur, vitam summa cum alacritate, si res ita postulat, & ponant & profundant. Quãobrem illi quidem in ea pugna, quæ tribus fermè abhinc annis ad Echinadas insulas omnium maxime memorabilis a classibus nostris cum Turcarum classe cõmissa est, non minus insitæ virtutis, quàm integerrimæ fidei, cuius religione obstricti ipsi se ad pugnandũ contulerant, specimen dederunt. Nam cum omnes fortissime se gessissent, partim in ipso prælio interempti occubuerunt: partim multis acceptis vulneribus seruati sunt; vt eius victoriæ non minimam laudẽ suo ipsi sanguine & vita conquisitam in Hetruriam reportauerint; & M. Antonio Columnæ Imperatori fortis-

simo,

ſimo, cuius auſpiciis duodecim ipſæ triremes lectiſsimorum militum, ac præſtantiſsimorum Equitum robore vel in primis inſtructæ, & à COSMO MEDICE Magno Hetruſcorum Duce ad Pontificem miſſę Chriſtianæ Reip egregiam operam nauauerant, à Pio v. Pontifice max. triumphus in vrbe Roma decretus fuerit. In quo tum quidem non tam inuictiſsimi Imperatoris, ac de re Chriſtiana optime meriti virtus eſt immortalitati commendata: quàm COSMI MEDICIS, cuius ille paratiſsimæ claſsi præfuerat, fides & obſeruātia in Romanum Pont. incredibilis, pietasque admirabilis erga Deum ſpectata, & ab optimis quibuſq. concelebrata omnium ora atque oculos in ſe conuertit. quod ipſius opibus & copiis Populus Rom. adiutus rē omnium pulcherrimam, & fortunæ ſæuientis iniuria non modo ex oculis ſublatā, ſed etiam è memoria planè deletam multis pòſt ſæculis renouare, ac lætiſsimus ſpectare potuerit. Quamobrem fremant omnes licet, dicam libere quod ſentio. Vna hæc me hercule tam propenſi in Remp. Chriſtianam animi ſignificatio huiuſmodi fuit, vt inter tanti Pontificis acta, quæ & plurima, & præſtantiſsima fuerunt, nihil reperiatur, quod illi ſit apud poſteros maius ad memoriæ perpetuitatē decus allaturum, quàm quòd multò ante COSMVM MEDICEM, perſpecta ſcilicet atque optime cognita tam excellentis Herois præſtantia Magnum Hetruriæ Ducem appellauerat. Quid enim pulchrius cogitare? quid ad nominis immortalitatem ſui certius facere potuit? quàm grauiſsimo quodam ac ſingulari iudicio teſtatum relinquere, ſe tātam animi altitudinem, quam in multis ab eo præclarè factis perſpexerat, præterire non potuiſſe, quin, quibus ipſe honorum inſignibus ac monimentis poſſet, ornatam atq. illuſtratam proſequeretur? Viderat hunc optimus atque incorruptiſſimus Pontifex iam inde a pueritia iuſtiſsime ſuis

imperare: populorum ſalutem chariſsimam habe-re: optimis moribus ciuitatem ornare: improbitatem & ſcelus odiſſe: integritatem: ſanctitatem: innocentiam publice priuatimque colere: ſuis artibus & conſiliis Italiæ pacem multo labore conſtabilitam tueri: opibus & copiis rem Chriſtianam iuuare: nullam præclare agendi occaſionem prætermittere: nihil non magnum atque excelſum cogitare: nihil non omni omnium admiratione dignum moliri. Nam & in Flaminia Heliopolim, & in Ilua inſula Coſmopolim vrbem ab humo excitatam extruxerat: eamque firmiſsimo præſidio munierat, vt Ligurum, vt Hetruſcorum, vt Latinorum ſecuritati proſpiceret: & Africanis latronibus quaſi compedes iniiceret. Viderat hunc eumdem Oppidorum ſubſtructionibus ad eas Hetruriæ partes, quæ deſertæ ſunt ac derelictæ, frequentandas maritimam oram paſsim occupauiſſe, & in ipſis me hercule ſummis ſaxis ac ſcopulorum verticibus ad fines imperii tuendos arces & caſtella poſuiſſe, quæ & locorum ſitu, & murorum firmitate atq. opportunitate turrium ac propugnaculorum incredibili, nulla ui expugnari poſſe viderentur. Viderat liberos, quos ſuſcepiſſet, FRANCISCVM FERDINANDVM ac PETRVM certiſsima perfugia ac præſidia bonorum omnium domeſtica diſciplina ad pietatem erga Deum, ad charitatem erga ſuos, ad liberalitatem & munificentiam erga omnes ab eodem educari: ad iuſtitiam, ad continentiam, ad temperantiam, ad lenitatem, ad facilitatem, ad affabilitatem colendam, cæteraſque omnes (vt ita loquar) ſiue maiorum ſiue minorum gentium virtutes & percipiendas & habendas inſtitui. Quarum quaſi cœtus & conſenſio mirabilem futuræ amplitudinis ſpem polliceretur. Viderat, viderat, inquam, nullos exercitus a Cæſare in Pannonias conſcribi, vt irruentes in Germaniam

Turcas

Turcas coherceret: quin cum iis Hetruscæ legiones armis atque omni militari copia ornatissimæ proficiscerentur: nullam Classem siue ab eodem Cæsare siue a Philippo eius F. Hispaniarum Rege comparari, vt cum Byzantiis classibus confligeret: vt Mauritanos latrones è sedibus exterminaret suis: vt Christianis hominibus aditum in Africam patefaceret: vt Libyæ oram præsidiis vinciret: vt Melitam iamdiu oppugnatam obsidione liberaret, quin cum eadem Classe Classis Hetrusca ad pugnandum paratissima nauigaret. Viderat denique iustissimo bello propulsatis & cohercitis hostium iniuriis fines longissime protulisse: seque rerum præclare gestarum & numero & magnitudine cum potentissimis regibus adæquauisse. vt si tantus Pontifex tantorum factorum amplitudinem & præstantiam tacitus dissimulasset, omnem planè omnibus Christianis Principibus spem ad præclarè agendum optimeque de Rep. Christiana merēdum præcidisset: seque omnium esse hominum ingratissimum aperte significasset. o, admirandam sapientiam: o, mentem Cœlo ipso, vnde ad nos descenderat, dignissimam. quæ eo cognomine Heroem hunc nostrum par esse vt ornaret, existimauerit, quod ad piè sanctèque viuendum; ad iuste imperandum: ad populorum salutem tuendam: ad imperium Christianę Reipu. vindicandum cęterorum omnium animos in futurum excitaret. Sunt hęc omnino, Ciues, quę hucusque commemorauimus, ingentis animi & heroicarum virtutum indicia, vel testimonia potius. Sed quę sequuntur quā quam fortasse nomine ipso leuiora: re tamen & factis, suo, si pondere ęstimentur vel paria, vel ampliora videbuntur. Nam cum puer, quemadmodum a nobis supra dictū fuit, ad eam Remp. regendā & gubernandam vocatus esset, quę tum ciuilium dissensionum erat plenissima: tum finitimorum Principum ac popu-

lorum odiis vehementer laborabat: & iis fundamentis nitebatur, quę labefactari & conuelli paulo momẽto posse putabantur: ausus tamen est in tanta rerum perturbatione: in ipsa Regni atque Imperii nouitate: cum vndique metus ac formidines impenderent: cum Exules bellum minarentur: cum Byzantio atque ex intimis Thracię faucibus classis innumerabilis accersita littora Italię, atque adeò ipsius Hetrurię oras popularetur: Cum superiorum temporum difficultatibus AErarium exhaustum foret: Cum Hispania: Cum Gallia: cum Belgia: cum Insubria bello vexaretur atrocissimo: ausus, inquam, est magno vel potius incredibili sumptu suo literatissimos homines & in omni scientia principes è variis Orbis Terrarum partibus in hanc Vrbem euocare: & apud vos Theologiæ, Philosophiæ, Iurisprudentiæ, cæteris denique omnibus disciplinis ac facultatibus, quæ liberales dicuntur, sedem ac domicilium constituere. Vt hæc ipsa Vrbs, quæ nescio quo fato peculiari suo multos iam annos in situ & squalore contempta ac deformata iacuerat, ciuibusque penitus exhausta, atque omnibus ornamẽtis spoliata pristinam illam dignitatẽ suam amiserat, tum primum recollectis & recuperatis propemodum viribus refici paulatim ac recreari ceperit. Itaque eam hodie finitimæ nationes magna sua cum admiratione sic celebrem & florentem intuentur, vt partim inuideant: partim COSMI MEDICIS erga vos beneuolẽtiam, & in studia literarũ egregiam voluntatẽ suspiciant. qui ingentibus propositis præmiis doctissimos homines apud vos aluerit: quorum è scholis clarissimi adolescentes & omnibus doctrinis instructissimi prodierint: quiq; vrbem frequentissimis ædificiis ornari: vias muniri: agrum purgari: paludes exiccari curauerit. Quamobrem Vrbem hanc vestram, Ciues, quæ Cœlo & loco calamitosa putabatur, hodie saluberri-

berrimam esse tum ex ciuium, tum ex peregrinorum incredibili frequentia cognoscimus. Si quis igitur est, qui extremo hoc tanti Herois à nobis discessu non moueatur: qui COSMVM MEDICEM Magnum Hetruriæ Ducem tanquam optimum parentem, ac non modo de hac ciuitate, quam ipse singulari semper quadam charitate prosecutus est: & cuius aspectu tantopere delectabatur, vt ab eo in primis recreari videretur, sed de Rep. Christiana optimè meritum sibi esse perpetuo lugendum, & tacita pietate deplorandum non putet, eum ego, vt idem iterum atque iterum repetam, ne in hominum quidem numero haberi oportere censeo. Verum enimuerò tantum abest, vt huiusmodi quisquam inter vos sit, vt vester dolor, vestræque lacrymæ, quarum vim incredibilem hoc tam acerbo casu effundi video, consolationem potius aliquam desiderent: quam quidem ego doloris magnitudine victus inuenire atque excogitare nullam possum. Te enim COSME MEDICES amisimus, cuius in beneuolentia & charitate erga hanc Ciuitatem incredibili tuti conquiescebamus. Cuius humanitatem, clementiam, & liberalitatem sæpissime experti in magna rerum omnium affluentia beatissimi versabamur. Cuius denique virtutem, sapientiam & prudentiam intuentes nihil vnquam nobis secus esse euenturum verebamur, quàm vellemus. Ac tu quidem nunc ex his tenebris ex hac temporum confusione, ex hac hominum peruersitate & rerum humanarum inconstantia corpore solutus discessisti: téque in lucem vindicasti: & in eum locum contulisti: in quo liber ab omni perturbatione rerum omnium auctorem atque opificem Deum contempleris: & à quo nos miseros, afflictos, infelices atque in luctu iacentes cum vides, fidem erga te & constantiam quibuscunque potuimus in rebus contestatam recognoscas: Beneficiorum, quæ tu

in nos plurima & maxima contulisti, memoriam amandam censeas. Ac nos quidem te tum propter virtutes tuas Cœlo receptum, & cum Diis agentem æuum: tum quòd FRANCISCVM. F. vices tuas in imperio sustinentem, iisdemque in vestigiis hęrentem, quę tu in terris cum esses ad factorum tuorum immortalitatem impresisti, nõ modo gentis & familię, sed etiam honoris & glorię Hęredem: & in Regno incredibili tua cum prudentia optime constituto Successorem reliqueris, piè sancteque semper obseruabimus: tuique nominis desiderium crebris sermonibus renouare, & memoriam cum charitate vsurpare nunquam desinemus. Dixi.



FLORENTIAE.

Apud Iuntas.

M. D. LXXIIII.